



1699.

- 1^{art} Coccejus, Henricus: De testamentis principum
=
2. Coccejus, Henricus: De principio juris naturalis
unico, vero et adequato.
3. Coccejus, Henricus: De notionem et executionem
curatorem.
- 4^{art} Coccejus, Henricus: De legato sancto, non imperi.
= 2 Simpl. 1699: 1717.
- 5^{art} Coccejus, Henricus: De titulum et commendationem
= convenientiam
- 6^{art} Coccejus, Henricus: De jure circa actus imper-
fectos. 2 Simpl.
7. Coccejus, Henricus: De clausula, rebus sic stantibus
8. Coccejus, Henricus: De jure circa haereticos.

9. Coccejus, Henricus : De cantone Correali.
- 10.^{a. et} Coccejus, Henricus : De finibus bonae fidei in prae-
scriptioibus de jure canonico. 2 Saupl.
11. Coccejus, Henricus : De judice jure ignorante
12. Rhodius, Michael : Juris consuetus philosoph^{sophus}-
sen vir bonus, verum, non similitatem philosophicum
affectans.
- 13.^{a. et} Ring, Thom. Siegf. : De deprehensis in flagranti
crimine. 2 Saupl. 1699? 1745?
- 14.^{a. et} Willenberg, Samuel Erikericus : De supplemento juris
in causis partium.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

TESTAMENTI PRINCIPUM,

Ab
Eminentissimo Divo Doctoro

PRÆSIDENTE

DN. HENRICO COOCE JO.

CTO.

MDCCCXXXI. AC POSTERIORI RECTORIS FRAN-
COFURTIENSIS UNIVERSITATIS, ACADEMIE ELECTO-
RALE, ET SÆCULARIS ACADEMIE ALMAE
MAGNÆ PAVIENSIS, PRAESIDENTIS, AUCTORIS

EDITIONI PRÆFATIO RECTORIS FRANCOFURTIENSIS, A
ACADEMIA ELECTORALI, ACADEMIA SÆCULARI, ACADEMIA
MAGNÆ PAVIENSIS, AUCTORIS, AUCTORIS, AUCTORIS


De Partibus testamenti, et de rebus testamentariis.

MDCCCXXXI. Decemb. ad MDCCL.

Franciæ Imperatoris, Electoris, et Archiepiscopi

JOHANNES GOTHFRIDUS COOCE

FRANCOFURTII, Typis in Ædibus Universitatis, et in Ædibus
MAGNÆ PAVIENSIS, AUCTORIS, AUCTORIS, AUCTORIS



9. Leipzig, Henning

10^{aa}
2

11.

12.

13^{aa}
2

14^{aa}
2

1006
1699, 4a
145
5/
DISSERTATIO JURIS GENTIUM PUBLICI,

De

LEGATO SAN- CTO, NON IMPUNI.

Quam

Divino annuente Numine

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO FAMIGERATISSIMO,

SERENISSIMI atq; POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ OR-
DINARIO & PROFESS. PRIMARIO, nec non EIDEM
SERENISS. ac POTENT. PRINCIPI ELECTORI,
ab AULÆ ELECT. CONSILIIS,

Antea

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI,
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ACADEMIA
HEIDELBERG. DECRETAL. PANDECT. & JURIS
GENT. PROF. P. ORD. MERITISSIMO,

FAUTORE & STUDIORUM SUORUM PROMOTORE OMNI OBSERVAN-
TIA ÆTERNUM COLENDO,

Publicæ Eruditorum ventilationi submittit

In Auditorio Juris Consultorum

AUTOR & RESPONDENS

FRIDERICUS WILHELMUS de LÜDERITZ,
Eques March.

Ad D. XVII. Jun. An. M DC IC.

Francofurti ad Viadrum, *Literis* CHRISTOPHORI ZEITLERI.

DISERTATIO JURIS CENTIUM PUBLICI

LEGATO
CITO, NON IMPUNIT

D. HENRICO COCCIO

DOCTORI JURIS ET HISTORIAE PALATINO

ET COLLEGIIS JURIS IN AGRARIA
HISTORICO, ORATORIO, PANDICTO & JURIS
CIVILIS, THEOLOGICO, PHILOSOPHICO, MATHEMATICO
PHYSICO, ASTRONOMICIS, AGRICULTURAE, MEDICINAE, ANATOMIAE, CHIRURGIAE, VETERINARIAE, MATHESICAE, OPTICAE, ACOUSTICAE, PNEUMATICAE, METEOROLOGICAE, AERIS, AQUAE, TERRAE, ET COELI, ET UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS SAGINAE

PHYSICAE, ASTRONOMICAE, AGRICULTURAE, MEDICINAE, ANATOMIAE, CHIRURGIAE, VETERINARIAE, MATHESICAE, OPTICAE, ACOUSTICAE, PNEUMATICAE, METEOROLOGICAE, AERIS, AQUAE, TERRAE, ET COELI, ET UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS SAGINAE

Publicae Bibliothecae Universitatis SAGINAE

A. G. 1717

FRIDERICUS WILHELMUS DE LUBERUS

MDCCXVII

FRANCOFURTI AD VIANDAM, LIBRARIA CHRISTOPHORI BARTHOLICII



*Serenissimo ac Potentissimo
Principi ac Domino,*

**DOMINO
FRIDERICO III.
MARCHIONI BRANDEN-**

**BURGICO,
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO**

**ET PRINCIPI ELECTORI,
BORUSSIÆ SUPREMO,
MAGDEBURGI, JULIÆ, CLIVIÆ, MON-
TIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM
ET VANDALORUM, AC IN SILE-**

**SIA CROSNÆ &c.
DUCI,
BURGGRAVIO NORICO, PRINCIPI HALBERSTADII,
MINDÆ ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERÆ,
MARCÆ & RAVENSBERGI, DYNASTÆ
IN RAVENSTEIN, LAUENBURG
ET BUTOW
&c. &c. &c.**

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Hanc Juris Disputationem seq; ipsum
Humillimâ subjectione offert

FRIDERICUS WILHELMUS de LÜDERITZ.

Verzeichnis der
Principale der

DOMINO

FRIDERICUS III.

MARCHIONI BRANDEN-

BURGICO.

S. R. ARCHI-CAMERARIO

ET PRINCIPALI RECTORI.

FORSSIAS KURINO.

MAGDEBURG. JULIUS CIVILIS

TIUM STEPH. POMERAN. CASIMIRO

ET VANDALORUM AD IN SUE

SA. CROSE

BUCKI

BURGAVIO NORICO VINCENTII HILBERTYADII

BRUNO ET CAMINI COMITUM POCHE

MARCO & RAVENBERGI DYNASTIE

IN LAVENSTERN LAUBENBURG

ET BLOW

de de de

DEAVIO SVO CLARITATIANO.

Hinc inde Dis...

Fridericus Wilhelmus de...



Serenissime ac Potentissime
PRINCEPS ELECTOR,
Domine longè Clementissime.

Cum Magnarum Tuarum, quibus
fulges, Virtutum, *Augustissime*
Princeps, Terrarum Orbem habeas
Præconem, ego haud immeritò, *Po-*
tentissime Elector, iis enumerandis,
cùm omnem supergrediantur lau-
dem, in præsens supersedeo. Has inter
egre-

egregias cùm primo emineat loco
Electoralis Tua Clementia : Mihi
haud vitio verti spero, si ad Eam, in
hoc Academico meo proposito, nec
non studiorum meorum in almâ hâc
Viadrinâ decursu, confugere, atque
exiles has Juris paginas ad pedes Tuos
devoto subjectæ mentis veneratio-
nisq; cultu devolvere, fructusq; Mu-
sarum mearum reliquos, *Tibi Soli,*
Domine, destinatos, Tuo Sacrosan-
cto Nomini consecrare audeo. Licet
enim *Indulgentissime Elector,* *Tibi*
forfan, humillimi Tui clientis, Sacra-
tissimis Tuis tum impositi Ulnis, cùm
ex sacro Baptismatis fonte me indig-
num susciperes, non ampliùs subeat

recor-

recordatio, ut proinde tantæ audaciæ notam, hæcce *Tibi, Serenissime Elector*, dicendo, incurrere haud debuiffem: Nihilominus tamen ingens Tua in me meosq; gratia, me ad qualemcunq; hanc debitæ gratitudinis accipii obsequii tesferam, devotâ mente publicè testificandam excitavit. Quapropter, *Clementissime Domine*, exiguum hunc conatum, studiaq; mea sereno ac benigno Vultu suscipies. Cogitabis, non omnes pari labi magnitudine in Oceanum amnes, nec cunctos gemmas aurumque volvere. Accipe denique, *Magne Princeps*, pia mea pro salute Tuâ vota. Velit Ter Benignum Numen, ut
Te

Te diu diuq; nobis incolumem sistat,
gloriamque Tuam perennet. Servet
Tuum Imperium contra omnes ho-
stium insultus, faciatq; ut *Augustissi-*
ma Domus Brandenburgica in æter-
num, immensis adaucta incremen-
tis, stet inconcussa. Ita precatur me-
dullitusque vovet

Serenissime ac Potentissime
PRINCEPS ELECTOR,
DOMINE LONGE CLEMENTISSIME,
SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS

Humillimâ devotione
subiectissimus Servus

FRIDERICUS WILHELMUS de LÜDERITZ



DISSERTATIO
DE
LEGATO SANCTO NON IMPUNI.

PRÆFATIO.

SUMMARIA.

1. *Juris Gentium primarii* | *nis vita & propagatio.*
capita omnia sancta, sed 3. *Hinc & imperia & arma*
alia aliis magis. | *sancta.*
2. *Sanctissima sunt duo homi-* 4. *Nedum legati.*

I.



Si omne jus Gentium, primarium certè quod dicitur, sacrosanctum sit inter homines, quædam tamen ejus capita peculiari præ cæteris & insigniore sanctitatis veneratione defensa, sanctiusque ab eo jure iis præsidium adversus injurias constitutum est.

2. Inter hæc, ut hoc saltem exemplo rem mentemque nostram explicemus, duo inprimis occurrunt, hominis vita & propagatio; in hoc enim anima-
A li,

2. *Disfert. de Legato sancto non impuni.*
licum quædam ipsius Divini Numinis imago ac particula resideat, atq; ideò nihil in terris eo sanctius esse possit, sequuntur inde hæc duo sanctissima jura, tum ut hominis vita in tuto sit adversus homicidas; tum ut matrimonia, quibus fit justa hominis propagatio, castè habeantur, contra adulteros. Quibus accedit sanctimonia personæ parentum, propagationis auctorum.

3. Quæ igitur singulis hominibus ex divinæ imaginis caractere impressa est religio ac veneratio, ea multò augustior est in toto populo. Unde sanctissima lex illa, POPULI SALUS: & sacrosancta sunt imperium, Principum ac magistratuum personæ, ipsaque arma quibus populus, ejusq; salus adversus injurias justè defenditur & propugnatur. Unde vulgo dicitur das *H. R. Reich*; sacra Cæsarea vel Regia Majestas, & apud Flor. *lib. 2. c. 20.* arma sacrosancta, quin bella ipsa legitima, DEI BELLA dicuntur, & liber ipsi Mosi citatur cū inscriptione *de Bellis DEI. Num. 21. v. 14.*

4. Quod si arma & bella, quæ cum cædibus hominum conjuncta sunt, sacra habentur, quanto magis pacis fœderumq; ministri, quorum intervenu populi ex vulnere, quo atrociter per armorum licentiam affliguntur, denuo coalescunt? Hi legati dicuntur, de quorum sanctimonia ejusq; finibus pauca pro disputationis exercitio disferere institimus.

CAP. I.

De Legatorum sanctimonia in genere.

SUMMA-

SUMMARIA.

DE nomine Legati.

- | | |
|---|--|
| 2. Sanctum seu sanctimonia quid? | 7. Legatos omnes esse sanctos & inviolabiles. |
| 3. Sanctimonie esse gradus: Tribuni olim SSancti. | 8. Cui Juri id adscribendum, sententia Grotii &c. |
| 4. Sanctum idem esse ac inviolabile. | 9. Vindicatur id Juri Gentium primario. |
| 5. Variæ legatorum species. | 10. Deos acerrimos violati juris legatorum vindices esse legatos, qui ad hostes mittuntur. |
| 6. Jus hoc proprie pertinere ad legatos, qui ad hostes mit- | |

Legandi vox variè usurpatur, hic mittendi actum notat, senden/ & Legatus dicitur, qui ad alium missus est, ein Gesandter/vel Gesendeter. Neque tamen quisquis ad alium mittitur, sed is proprie legatus dicitur, qui publica quadam autoritate mittitur, & vix aliter apud probos autores usurpatur. tot. tit. ff. & C. de Legation. Varro lib. 5. de ling. lat. legatos dici ait, quod, ut publicè mittantur, leguntur. apud Brisson. de verb. sign. voc. Legati. Etsi, quod inde compositum est, ablegandi nomen, de privatorum quoque actibus accipi solet: ut Cic. II. Verrin. sæpius promiscuè accipit dimittere & ablegare. Et Liv. lib. 1. c. 35. Sub tempus pueros venatum ablegavit. Ita Terent. in Hecyr. act. 3. sc. 3. in fin. & alii.

2. Sanctimonia ab eo quod Sanctum est, dicitur: sanctum autem est, quicquid ira præ cæteris venerabile & carum est, ut ejus violatio vel non facile metuatur, vel insigniore pœna vindicetur. Equidem nulla lex violari potest, eoque sensu omne jus sanctum

4. *Dissert. de Legato sancto non impuni,*
est. *vid. præfat. §. 1. & inde in genere leges istæ, quæ*
pœnam in violatores statuunt, specialiter sanctiones
appellantur; L. 9. §. 3. ff. de Rer. div. L. 41. ff. de Pœn. ve-
rùm hic gradus insignior sanctitudinis eo donatur.
Quo sensu accipiendum est, quod in l. 8. prin. ff. de Rer.
div. dicitur, sanctum esse quod ab injuria hominum defen-
sum atq; munitum est. scil. insigniore pœna; mox enim
additur ibi exemplum pœnæ capitalis. Sic & Augu-
sti nomen, quod Octavio Cæsari tributū est, idem quod
per sanctum, maximè venerabile, seu σεβαστόν significat.
Quod Dion. docet d. lib. 53. Augusta dicuntur, quæ sanctis-
sima & veneratione dignissima sunt: ideoq; Augustum Græci
σεβαστόν interpretati sunt, quasi maximè venerabilem.

3. Nam & eminentior ista sanctimonia in suos i-
terum dispescitur gradus, & quædam præ aliis sacro-
sancta habentur. De his Cic. *pro Cornel. Balb. circa*
med. Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebs-
ve sanxisset: deinde sanctiones sacrandæ sunt, aut genere
ipso aut obtestatione & consecratione legis aut poenæ, cum
caput ejus, qui contra facit, consecratur. His legibus igitur
violator sacer fit cum omni familia pecuniaque
sua, prout ex Festo refert Brisson. *d. tract. voc. sancta.*
Ita legibus Romanis sacrosancti tuere tribuni plebis,
Cic. *pro P. Rosc. post met. Liv. lib. 9. cap. 8. in fin. & cap. 9.*
Val. Max. *lib. 4. cap. 1. n. 3. adeo ut nec hostibus dedi*
nec aliâs ullo modo violari potuerint; Liv. d. c. 8. in fin.
sed qui vel verbulo eos violâsset, sacer fieret, & absq;
alio judicio quoque occidi ab iis posset. Dion. *Casf.*
Hist. lib. 53. Tribunitia potestas facit, ut sacrosancti sint, ita
ut, qui quocunque facto & vel verbo eos læsisse visus fuisset,
eum ut sacrum seu piaculo obnoxium etiam indictâ causâ in-
terficere licuerit.

4. Ex

Cap. I. de Legatorum sanctimonia in genere.

4. Ex his omnibus apparet, omnem sanctitatis rationem in eo consistere, quod violari nullatenus debeat: Unde *sanctum esse & violari*, tanquam contraria invicem opponuntur, & sanctum dicitur quod violari non debet. Cic. *pro Arch. prope fin.* Sit igitur sanctum apud vos nomen quod nulla unquam Barbaria violavit. Et *pro M. Fonteij. circa med.* His quicquam sanctum & religiosum videri potest, qui ne religionem quidem colere possunt, nisi eam ipsam prius scelere violarint. Gell. *Noct. Att. 17. c. 2.* Tanta SANCTITUDO fani est ut nunquam quisquam violare sit ausus. Cæf. *de Bell. Gall. lib. 6. c. 5.* de Germanis: *Hospites violare fas non putant. SANCTOSQUE habent.* Cic. *Orat. II. in Catil. cap. 8.* An in vastatione omnium tuas possessiones SACROSANCTAS futuras putas? Cū Dux Albanorum, Metius, fœdus cum Romanis sanctissimè initum fœdisimâ prodicione violâset, indeque bello victus atrocissimo supplicio à Tullo, Rege Romano, destinatus esset, Doce, inquit ei Rex, *humanum genus ea sancta credere, quæ à te violata sunt.* Liv. *lib. 1. cap. 28.* Pariter, cū Appius Claudius Virginix pudicitiam juxta ac libertatem invasisset, eaque de causâ à plebe foro pulsus esset, plebs verò urbe in sacrum montem secederet, liberi & conjuges rogârunt; *Quinam se relinquerent in ea urbe, in qua nec pudicitia nec libertas sancta esset.* Liv. *lib. 3. cap. 52.*

5. Quam variæ autem sint legatorum species, & ut invicem distinguantur, vid. *Juris publ. prud. c. 23 §. 36.* Iis autem omnibus commune est, quod sint sancti & iniolabiles, sed ii maximè, qui pacis aut fœderis aliusve negotii publici causa specialiter & cum characterere, ut ajunt, missi sunt: Alii enim sunt talium negotiorum causâ, quæ per privatos quoque expediri

6 *Dissert. de Legato sancto non impuni,*
possunt, adeoque tanquam meri negotiorum gesto-
res vel procuratores, vulgo *Agentes*: neque hi sem-
per mittuntur, sed negotia hujusmodi committi sæ-
pitis iis solent, qui in loco commorantur, sub nomi-
ne *Agentium*.

6. Cæterum tota hæc quæstio propriè ad eos le-
gatos pertinet, qui ad hostes mittuntur, & proinde
jure hostium haberi ac violari possent: nam qui ad
amicos mittuntur, jure communi perinde ut privati
quoque homines tuti sunt, nec hoc singulari genti-
um jure ac privilegio, ne lædi queant, opus habent.
Hi igitur majori quidem cum dignitate ac privati ibi
vivunt, at jus securitatis ipsis cum omnibus aliis com-
munè est: ea enim beneficio pacis omnibus perinde
debetur.

7. In genere igitur legati omnes, etiam ad ho-
stes missi, inter omnes gentes, etsi barbaras, sancti
sunt seu inviolabiles, nec in id cumulabimus, quæ pas-
sim frequentissimè occurrunt, autoritates; cum & ne-
mini id dubium & planè decusum sit in *l. fin. ff. de Le-
gation. si quis legatum hostium pulsasset, contra jus gentium
id commissum esse existimatur, quia sancti habentur legati.*
Et mox: *Itaque eum, qui legatum pulsasset, L. Mutius de-
di hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere.* E-
amque in rem autorum testimonia longo ordine re-
censet Grotius *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 18. §. 1. &
in not. ad d. §. 1.* Quibus addi potest *Jul. Cæs. lib. 3. de
Bell. Gall. cap. 2. Dionys. Halic. Antig. Rom. lib. 5. cap. 53.*
ubi invehitur in Tarquinius, quod sacrosancta obsidum &
legatorum Romanorum corpora violare conati essent.

8. Verùm ex quo jure sit illud jus legatorum,
ne ab hostibus lædi possint, disquiritur. Et Grotius
d. c.

Cap. I. De Legatorum sanctimonia in genere.

d. c. 18. §. 1. id tribuit juri gentium voluntario, quod secundarium vulgò vocant. Atqui parum præsidii habituri sunt Legati ab eo jure, quo liberi populi & summi Principes non obligantur; atque ita frustra Legati apud hujusmodi Principes ad hujus juris auctoritatem provocarent. Cum enim illi neminem in terris superiorem, sed solum Deum recognoscant, non possunt humanarum gentium leges eos tenere, nec adeò gentes, quæ superiores non sunt, jus ipsis dare vel dicere. Quin summi Principes hujus secundarii gentium juris capita in suis terris mutare, iisque, uti aliis juribus positivis, ut vocant, derogare possunt, & derogant quotidie in illis articulis de quibus in *tot. tit. Inst. de Rer. div.* agitur.

9. Itaque ab alterius augustioris Juris reverentia petenda est legatorum inter hostes securitas; ab eo nimirum, quod ab ipsa natura ejusque Autore sancitum est. Dissidentibus namque bello populis cuique parti naturam permisum est, oblata satisfactione bellum finire: Ergo & eadem naturæ lege cum securitate legatos mittere, sine quibus offerri satisfactio nequit. Quin hoc ipso, dum offertur satisfactio, desinit injuria, desinit hostis & bellum, quod justum non est, nisi ad reparationem injuriæ geratur: Belli autem jure cessante, cessat lædendi licentia, & jus hostis in legatum pacis causam misum. Et licet fortè non illico de conditionibus pacis conveniant, tamen, dum in suspensio est transactio, suspendi interim quoque jus belli in legatum de transactione agentem necesse est; nam alias adhuc omnis componendæ pacis ratio tolleretur, si hic ipse tractatus non esset in tuto: semper verò ea ratio, sine qua id quod naturam concessum vel constitutum

tum

8 *Difert. de Legato sancto non impuni.*
rum est, expediri nequit, à natura & ipsa sit necesse est. Optime legati Romani ad Cosröem, Regem Persarum: *Si, inquit, certantes nunquam convenirent, infinitum omnino bellum esset; id verò si finem habiturum non est, eo occupatus de statu hominum ac naturæ decicere aptum est.* Procop. lib. 2. de Bell. Pers. Nam & directò equidem ad humanæ societatis destructionē pertinet, eam rebus humanis imponi necessitatē, ut, cum disensio aliqua inter duos populos oritur, nunquam debellatum videri posset, nisi cū internecione alterius vel utriusq; partis. Atque ita Veteres quoque divino juri id adscripsere; uti Cic. *Orat. de Harusp. Resp. circa med. Jus legatorum, ait, cum hominum præsidio munitum, tum etiam NB. divino jure esse vallatum.*

10. Hinc Romani ipsos Deos immortales hujus sanctissimæ legis suæ, & violatorum legatorum vindices acerrimos esse crediderunt. vid. Arum. *Discurs. Acad. 29. concl. 12.* Kirchner. *de Legat. lib. 2. c. 1. n. § 2.* Quâ fiduciâ erectus Cossus, Tribunus militum, inspecto Larte Tolumnio, Rege Vejentum, Romanos, quorum legati occisi ejus jussu fuerant, in prælio acriter urgente, *Hiccine, inquit, est ruptor fœderis humani violatorq; gentium juris? Jam ego hanc mactatam victimam (smodo sancti quicquam in terris esse Dii volunt) legatorum manibus dabo.* Nec fefellit eventus, sed cæso Rege altera à Romulo opima spolia Jovi Feretrio tulit. Liv. lib. 4. cap. 19. & 20. Nec aliam ob causam everfas esse Athenas, quàm quia se impiaverant nece legatorum Perficorum, creditum tum fuisse apparet ex Herod. lib. 7. n. 185. Ita plerumq; videmus inauspicato prælii exitu, stragibus, excidiis litatum fuisse legatorum manibus. Haud levi indicio, ab ipso Deo, cui adeo res ea cū-

Cap. I. De Legatorum sanctimonia in genere. 9

ea curâ est, sanctam esse tot tristissimis eventibus sanciri securitatem legatorum. Uti ex hâc causâ Thebani ab Alexandro Magno; *Curt. lib. 4. Cap. 2.* Veneri à Cæsare; *Cæs. de Bell. Gall. lib. 3. cap. 3.* Ammonitæ & Syri à Davide; *2. Sam. 10. & 11.* Arabes ab Herode; *Joseph. Antiq. lib. 15. cap. 7. & 8.* Alexandri Severi exercitus à Persis; *Herodian. lib. 6. cap. 4.* Sveones oppresso Refone, legato Danico, à Gotricò seu Gotefredo Rege Daniæ, victi & cæsi sunt. *Sax. Gramm. Hist. Dan. lib. 8. in fin.* Et si Loccen. *Histor. Svec. lib. 2. in princ.* Sveones variata facti specie defendat; qui deinde addit, *non esse consentaneum, adeò juris gentium & naturæ vel oblitos vel negligentes fuisse Suedos, ut legatum ex solo contemptu per injurias trucidarent.* Sed & alia passim tristissimi exitûs exempla, *Conf. Plut. in Pelop. c. pen. & ult. & Corn. Nep. in Pelop. cap. 5. at vix ulla occurrunt, quibus à violatorum partibus steterit prælii ex hac causa initi victoria.* Juri igitur gentium primævo tribuimus meritò legatorum sanctimonia, atque ideò summos quoq; Principes eâ lege teneri, metuendamq; ipsis esse ejus violatæ vindictam ultricesq; diras asserimus.

CAP. II.

An Legati apud Principem ad quem missi sunt, ex delicto vel contractu conveniri possint.

SUMMARIA.

1. Legatos, in loco ubi delinquent, delinquentes, ibi forum sortiri, apud veteres. 2. Distinguendum id quod juris, &

B

- 10 *Disfert. de Legato sancto non impuni-*
ris, & quod humanitatis,
generositatis aut prudentiæ
est.
3. *Jure gentium primario le-*
gatos in loco delicti conve-
niri posse. Quod probatur in
seq. usq; ad fin.
3. *Summam cujusq; civitatis*
potestatem æque absolutam
esse intra ejus fines, ac est
humani generis in univer-
sam terram.
4. *Fundatam esse eam potesta-*
tem etiam in legatis, donec
probetur jure naturæ eos
exemptos esse.
6. *Id non probari ex legatorum*
sanctimonia.
7. *Sanctimoniam non pertine-*
re ad delicta.
8. *Ea tribui securitatem non*
impunitatem.
9. *Juris executionem non esse*
violationem.
10. *Jus naturæ non patorcinari*
Sceleribus.
11. *Rationem, quæ legatos san-*
ctos esse jubet, totam ces-
sare in delictis.
12. *Beneficia non dari delin-*
quentibus.
13. *Nec plus juris legatis inter*
hostes tribui posse, quam
pace inter amicos.
14. *De jure puniendi delicta ni-*
hil singulariter in legatis
jure naturæ constitutum esse.
15. *Principis potestatem in ter-*
ris suis adventu legati non
imminui.
16. *Ipsos Reges extra regnum*
esse suum non habere summam
potestatem.
17. *Non posse per naturam fie-*
ri, ut quisquam, qui in regno
est, à Regis potestate penitus
exemptus sit.
18. *Idem probatur autoritati-*
bus, ut Theodaati.
19. *Lacedæmoniorum, quod e-*
xemplum defenditur contra
Zoucheum.
20. *Lampscenorum.*
21. *Anglorum, ubi notatur*
Zocheus.
22. & 23. *Eorundem, quod &*
ipsum defenditur contra
Zoucheum.
24. *Hispanorum.*
25. *Quod iterum defenditur*
contra Zouch.
26. *Gallorum.*
27. *Lusitanorum seu Tuneten-*
sium.
28. *Papæ*

28. Papæ Pauli IV.

29. Electoris Saxonie & Land-
gravii Hassie.

30. De aliis remisivæ: ubi Thu-
ani judicium de factò Pau-
li IV.

I.

HÆc quæstio, in primis ratione delictorum & pœ-
narum, recentioribus seculis acerrimè agitata
fuit: adeò ut illi sententiæ, quòd legati in loco
ubi degunt forum sortiantur, quæ apud veteres ex-
tra controversiam fuit, prolixus tractatus nostrâ
memoriâ oppositus sit sub titulo: *Memoires touchant les
Ambassadeurs & les Ministres publics, par L. M. P. avec des
reflexions faites sur eux &c.* In quam varias verò sen-
tentias iverint autores, pluribus referunt Grôt. *de J.
Bell. & Pac. cap. 18. §. 4.* Zoucheus *tract. de Legat. delinq.
jud. cap. 11. 12. 13.* Perez. *C. de Legation. n. 11. &c.*

2. In hac verò quæstionè in primis discernendum
est id quod generositatis, humanitatis, aut pruden-
tiæ, & id quod juris est. Generosi ac magnanimi Prin-
cipis indicium est, si is legatum, qui faciem sui Prin-
cipis, veluti imago quædam ejus refert, cum ipse eum
punire posset, ad Principem ac Dominum ejus remittit,
atque ita in causa vindictæ jure ac potestate sua cedit:
Et eò magis laudandum est hoc consiliùm, quòd eo
Principes ad mutua humanitatum officia cultumque
provocantur; magisq; adeò animi moderatione quam
jure & armis certant. Sed & prudentiæ quoque id
est æpissimè, si potentissimi hostis, causamque inva-
dendi circumspicientis legatus sit, ut vindictam poti-
ùs dissimulet, vel ad dominum legati rejiciat, quam
Rempublicam in discrimen adducat. Atque ita plu-
rima sunt exempla Regum ac Principum, qui legatos
à publicis atrocibusque delictis impunes dimiserunt

B 2

ad

ad eorum Principem, ut Elisabethæ Reginae Angliæ, &c. Zouch. d. tract. cap. 5. Arum. ad Aur. Bull. Disc. 1. tb. 21. Inde verò nullatenus efficitur, eos ad dimittendos hos legatos jure obligatos fuisse. *vid. cap. seq.*

3. De jure vero gentium, primario inquam, ejusque ratione si quærarur, existimamus omnino, Legatos non esse exemptos à Jurisdictione ac potestate ejus Principis ad quem missi sunt; adeoque si ibi vel delinquant vel contrahunt, ibi ceu in loco delicti vel contractus forumeos nancisci, nec huc jus illud gentium & legatorum sanctimoniam pertinere posse. Quod & in primis de delictis paulò plenius nunc ostendemus.

4. Primum igitur pro certo indubitatoque tenendum, quòd jure naturæ summa cujusque territorii potestas se extendat ad omnia, quæ sunt & quæ fiunt in eo territorio. Constat enim, summam illam & absolutam humani generis potestatem in hanc terram, unde nihil, quod non excedit modum humanum, exceptum est, non numero hominum, sed terrarum finibus in plures civitates ita divisam esse, ut non certis hominum capitibus, sed unicè territorii regionibus definiatur, nec aliter defini possit. Hæc igitur summa civitatis potestas tantundem intra ejus fines valet ac totius humani generis in universam terram: quin nihil aliud illa est, quàm ipsa illa humani generis summa potestas in plures civitates distincta, & cujusque civitatis finibus circumscripta.

5. Hæc igitur naturali ratione hoc planè evictum est pro summa civitatis potestate, quòd, ut loquuntur, fundata indubie sit intentio ejus in omnia quæ territorio continentur, eoque & in legatos, nisi hos

hos alio jure naturali inde exemptos ex adverso probetur. Non ergo probandum nunc est, legatos quodque subesse potestati ejus territorii, ubi legationis causa morantur; (id enim in ipsa certissima ratione naturali satis fundatum est) sed e contrario, legatorum exemptio probanda venit, & quidem ex jure gentium primario, quo solo summi Principes obligantur.

6. Ad hujus autem rei probationem nihil aliud affertur, quam illa legatorum sanctimonia hactenus exposita. Ex qua tamen nihil minus sequitur, quam exemptio à Jurisdictione loci ubi sunt: Nam & Tribuni plebis alique Romæ magistratus, sed & Sacerdotes fuere sancti, nec tamen ideo exempti imperio: nec quicquam commune habet sanctimonia rei & exemptio à summa potestate.

7. Nec sancti dicuntur, qui à juris executione immunes sunt, sed qui ab injuriis defensi. *l. 8. princ. ff. de Rer. Div.* Et præstat iis hæc sanctimonia præsidium contra injurias, non contra jus: neque enim sanctimonia delictis tribui, neque ex delicto jus sacrosanctum, ex impuro sacrum nasci potest.

8. Sed nec Jus gentium hoc agit, ut Legatis facinorum licentia derur, verum ne aliis in ipsos; ut sanctitate sua securi sint, non ut impunes: quæ adeo invicem pugnant, ut impunitatem scelerum facere non sit sanctimonia, sed summa profanitas.

9. Idem ostenditur ex eo quod sanctum idem sit ac inviolabile: *sup. c. 2. §. 4.* violat autem, qui injuriam & contra jus facit, non qui jus ipsum pœnamque eo debitam exequitur: juris enim executio nullam injuriam habet. *l. 13. §. 1. ff. de Injur.* Et qui criminis aliquem postulat & condemnat, quin & qui exequitur, lege agit

14 *Dissert. de Legato sancto non impuni,*
agit: l. 2. §. 6 ff. de Orig. Jur. Liv. lib. 26. cap. 16. *Lictor viro
forti virgas adde, & in eum primum lege age.* directio au-
tē & quā maxime pugnant, lege agere, & jus viola-
re; legis actio, & ejus violatio. Violare à vi & violentia dicitur, uti Græcis *βιάζω*, à *βίη* βία, unde βίαιος violentum significat. Igitur jus gentium, dum tantum violari legatos prohibet, vim injustam, injurias ac violentias à capitibus eorum amolitur, non autem juris executiones pœnasq; lege debitas impedit.

10. Neq; verò sanctissimi hujus Juris, ejusq; Autoris Dei mens atq; sententia fuit, sceleribus patrocinari, præsidium dare machinandi in Principem & Rempubl. lædendi ac violandi cives, eorumque conjuges, liberos &c. deniq; ita inviolabiles legatos præstare, ut omnia ipsi violare possint, sublato in terris illis pœnæ metu, & nemini permisso in eos judicio, quàm ipsi partis læsæ hosti.

11. Sed & tota ratio, quā constitutum est jure naturæ hoc munimentum legatis, de quo *Cap. 1.* in universum penitus cessat in delictis: neq; enim paci faciendæ, fœderibus pangendis, aliisque negotiis interventu legatorum gerendis quicquam officit, quòd ipsi impune delinquere nequeant, uti officeret si hostium loco essent: nam hic metus, ne ut hostes hostilia patiantur, excluderet omnem commeandi facultatem, non verò metus delicta haud impunè ferendi: flagitia enim evitare eorum arbitrii est; vim hostilem, non est, nisi lege naturæ illa sanctè prohibita sit. Igitur cessante in delictis universaliter hujus Juris gentium ratione, jus ipsum planè cessat. *per vulg.*

12. Et cum hæc securitas in bello & inter hostes Legatis ut singulare beneficium jure naturæ datum sit, constat

Cap. II. An Legati apud Principem, ad quem missi &c. 12
constat beneficia delinquentibus non dari: ea enim est
natura beneficiorum, ut pro meritis dentur; & pro-
inde cum eis pugnat, deberi delinquentibus. *l. 2. §. 3. ff.*
ad Sc. Vellej. Beneficii ergo hujus ratio in eo est, ut de
publica salute tractantes tuti, non ut delinquentes im-
punes sint.

13. Sed nec plus legatis ex hoc singulari jure gen-
tium in bello & inter hostes tribui potest, quam jure
communi in pace inter amicos ipsis competit. Atqui
in pace & inter amicos nihil jure naturæ specialiter
de legatis constitutum apparet, nec constitui aliquid
necesse fuit, cum jure communi omnes homines, pri-
vati quoque, tunc tuti & inviolabiles sint, legatis verò
eodem jure ipsa, quæ iis cohæret, dignitas susceptiq;
muneris ratio, absq; speciali privilegio naturæ, uti aliis
in dignitate constitutis, pro ejus modo securitatem
majorem magisq; inviolabilem præstet. Quod igitur
legatis in pace apud amicos non conceditur, mul-
tò minus iis in bello apud hostes deberi potest: hæc
enim naturæ lege id ipsum agitur, ut legatis inter
hostes jura pacis restituantur, uti arguit Cic. *Orat. 3. in*
Verr. ubi ait tam venerabile & sanctum esse legatorum
nomen, *ut non modo inter sociorum jura, sed & inter ho-*
stium tela incolume versetur. Ergo iis tantum incolumitas
& securitas eadem in bello competit, ac inter
focios & amicos in pace: non verò impunitas, quæ ne
quidem in pace:

14. Porro jus puniendi delicta ac flagitia non est
proprium vel bello vel paci, sed utrique tempori com-
mune. At hoc jus gentium singulare, quo de legato-
rum sanctimonia agitur, bellis specialiter prospexit,
ne effrenis illa lædendi hostis licentia, quæ rupto ar-
mis

16. *Disfert. de Legato sancto non imperi-*
mis societatis vinculo, invaluit, ad legatos extendatur. De aliis verò, quæ bello paci; communia sunt, singulare aliquid in personis legatorum naturæ legibus constitutum esse ostendi nequit.

15. Quî verò fieret, ut Principis summa potestas, cui ante adventum legati nihil in territorio ejus extemtum fuit, imminui posset ingressu extranei, cui nihil in eo juris est. Quâ item ratione illa lex, quæ legatos non nisi ad pacem fœdera que faciendâ sanctos fecit, ad flagitiorum licentiâ pertinere potest? Delinquendo enim nec intra mandati fines nec legatus est.

16. Quin ipsi principes, quos Legati repræsentant, si extra suum in alieno territorio morantur, non effugiunt planè auctoritatem territorii in quo sunt, (etsi, si irreverenter Princeps territorii tanti hospitis majestatem haberet, suæ detraheret) nedum Legati. Quod verò Alb. Gent. & Zoucheus *d. tract. cap. 4.* plus tribuunt Legato quàm ipsi Principi mittenti, imagini ac umbræ quàm corpori, eo nihil planè absurdius videri potest; cum Legatus nihil juris, dignitatis, sanctimoniamque habeat, nisi à concessione sui Principis.

17. Neque verò potest in eodem territorio nisi una esse summa potestas, sive uni personæ, sive pluribus inhærens. Igitur Rex, qui in alieno territorio moratur, vel ibi est ut Rex cum summa potestate, vel ut privatus. Non illud, quia præter summam ejus territorii potestatem alia adhuc in eo esset summa potestas; quæ secum pugnant, hoc magis, quòd naturali ratione civitates, earumque summas potestates finibus territorii conclusas esse, ostensum sit *supr. §. 4.* Quæ verò Zoucheus *d. cap. 4.* de Proconsule, qui urbe egressus ea, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, statim exer-

Cap. II. An Legati apud Principem ad quem misfi &c. 17
exercere potest, prolixè disserit, nihil equidem huc faciunt; præterquam enim quòd juris illa civilis capita sint, & Proconsul hæc Jura intra fines Imperii & ejus nomine peregerit; ex eo quoque, quòd tantum in causis voluntariæ jurisdictionis, & soli Proconsuli, non aliis, permessa fuerint, singulariter ita arbitrio legum civilium statuta ea esse, facile apparet.

18. Neque unquam de eo apud veteres dubitatum fuisse ullibi invenitur: Equidem, cum Theodatus Gothorum Rex, increpationibus legatorum Justiniani offensus, in faciem iis diceret: *Tandiu legatos dignitatem suam retinere, quoad ipsi suæ legationis officia observarent. At si Regem contumelia affecerint, vel adulterium commiserint, occidi posse:* Legatus nihil excepit ratione fori, sed negavit, *Legatis per custodias, quibus septi sint, relinqui peccandi occasionem, apud Procop. de Bell. Goth. lib. 1. fol. m 15.*

19. Et legati Atheniensium, cum à Lacedæmoniiis quasi conscii invasionis quam Sphodrias fecerat, comprehensi in vincula conjicerentur, nihil conquesti sunt de privilegio legatorum, sed de causa ipsa responderunt, & se omnium ignaros esse testati atque ita dimissi sunt: *Xenoph. Rer. Græcar. lib. 5. fol. m. 388.* Et frustra est quod Zoucheus ait, videri eos non ad Lacedæmonios, sed ad alios ablegatos fuisse. Nam nequequam hujus ibi dicitur, & apud Lacedæmonios commorati sunt: & licet id ita esset, si tamen in loco ubi transeunt, conveniri possint, cum ubique apud amicos æquè sancti sint, (vid. *infr. cap. 4.*) nedum apud hostes poterunt de quo *supr.* Deniq; non modò custodia detentari, sed & in vincula conjecti dicuntur.

20. Ita Lampfaceni, cum Verres Legatus Romanorum

norum primarii civis filiam ad stuprum vi abducere tentaret, concione habita confenserunt, sibi jus esse Legati capiendi ac puniendi, nec Romanos id improbaturos esse. Ita enim refert Cic. *I. Verrin. cap. 33.* conclusum ab omnibus fuisse: *Non esse metuendum, si Legati nefarium scelus Lampsaceni ultri vi manuq; essent, ne Senatus Populusq; R. in eam civitatem animadvertendum putaret. Quod si hoc jure Legati P. R. in socios nationesq; exteras uterentur, ut pudicitiam liberorum servare ab eorum libidine tutam non liceret, quidvis esse perpeti satius, quam in tanta vi atque acerbitate versari.* Adeo vero id non improbarunt Romani, ut Cicero de hoc quoque crimine Verrem deinde accusaverit, & Lampsacenos, qui precibus Romanorum civium victi eum demiserant, publicè deprecaverit.

21. Maximis quoque studiis agitata est lis illa in Anglia, ubi Scotorum Reginae Legatus, Rosensis Episcopus, in Reginam Elisabetham impiè machinatus, rebelliumque nefariis consiliis immixtus, indeque interrogatus, etsi satis impudenter contenderet, *rationes non alteri, quam suo Principi reddendas esse;* Cambd. *Hist. Elis. part. 2. ad an. 1571. p. 217.* tamen captus & in insulam Eliam deVectus est: tum verò Consilio Jctorum publicè habito, ac re perpenfa, ex eorum sententia ei, acriter ante objurgato, responsum est: *Non amplius eum pro Legato agnoscendum; sed ut perniciosè meritum male multandum esse.* Inde in arce Londinensi arctissimè custoditus, adeo judicium Reginae subiit, ut ad articulos quoque & omnia, quæ rogatus fuit, responderit. Cambden. *d. loc. p. 220. 221. 222.* ut frustra omninò hîc sint effugia Zouchei. *d. tract. cap. 7.*

22. Idem Zoucheus fatetur, Hispani Legatum, in Anglia,

Cap. II. An Legati apud Principem ad quem missi &c. 19
Anglia, Episcopum Aquilanum, eò quòd Italium, qui
in alterum bombardulam disploserat, in ædes ipsius
fugientem clam emisisset, domo conclusum & inter-
rogationibus subditum, atque adeò iudicio subiectum
fuisse. *d. cap. 7.*

23. Id quoque Bernardino Mendozæ, uti antea
De Spesio, utriq; Hispaniæ Regis Legato in Anglia ac-
cidit, qui ejusdem flagitii postulati, re deprehensâ,
Regno exire jussi sunt. *Cambden. d. tract. part. 3. ad an.*
1584. p. 404. ut appareret, iudicio eos subiectos, sed pœ-
næ meritæ atrocitatem pro temporum rationibus re-
missam fuisse. Quod & Cambdenus de Mendoza addit,
*Eum sacrosancto legationis jure ad proditionem abusum, an-
tiqua servitate igni & ferro (ut multis visum) persequen-
dum fuisse.* Unde miratur, quòd hic homo, post tan-
tam Reginæ clementiam fremens furensq; quasi vi-
olato legationis jure in Galliam pervenerit. Quasi verò
Legatus, proditor Majestatis, sanctior sit in alieno, quàm
ipsa sacratissima & Dei vicaria Majestas in suo; & ille
plus juris in alieno habeat ad violandam ipsam Maje-
statem, quàm hæc in suo ad se tuendam proditionem
que persequendam.

24. Quamquam verò ea res malè habuerit Phi-
lippum Hispaniæ Regem, idem tamen & ipsè proba-
vit in Legato Veneto, ad cujus domum cum quidam
profugeret, ac Marechallus capiendi ejus causâ do-
mum Legati ingressus, at à satellitibus malè tractatus
esset, Præpositi justitiæ præsentè Legato, in aliam do-
mum interim transire coacto, delinquentes appre-
hensos, alios capitis, alios fustigatione, alios ad trire-
mes damnârunt, & ipse Rex Hispaniæ Philippus li-
teras ad Principes Christianos dedit, *se nolle legatos suos*
C 2 *immu-*

*Disert. de Legato sancto non impuni,
immunitate muneris, justitiâ sanctiores esse, quin legibus
Regni conveniri & damnari possint, si quando facinus ab of-
ficio aut mandato sibi imposto alienum commisissent.*

25. Equidem Zoucheus mirum in modum se tor-
quet, ut hujus exempli vim effugiat, indeque gratis
fingit, non legati satellites, sed hospitis famulos tan-
tùm condemnatos fuisse, & quòd Rex promiserit a-
liis Regibus vindictam in Legatos suos ibi delinquen-
tes, id non factum esse quasi agnovisset jus gentium,
sed arbitraria cessione juris sui, ea quidem satis vana
videntur. Nam Autor ille, quem *cap. 6.* allegat, Maer-
sellar, expressè refert, per familiam Legati vim factam
fuisse, nec alter Autor, in quem incidisse se adeò gau-
det *cap. 7.* id negat, sed è contrario ait, fenestras fa-
mulis vim minitantibus oppletas fuisse; Nec verò cre-
dibile est, hospitem legati tantam manum famulorum
aluisse, quorum alii ad mortis, alii ad fustigationis, a-
lii ad triremium pœnam damnati dicuntur. At verò
omnes, qui deliquerant, excepto solo Legato, prehen-
sos damnatosque fuisse, idem tradidit. Gratis igitur
fingit Zoucheus, nullum è famulis legati inter eos fu-
isse. Equidem contrariũ quoq; apparet ex allegatis lite-
ris Philippi, quæ de Legato, qui facinus admisit & ideo
judicium pari cogitur, ad Principes scripsit, idemque
de suis Legatis permisit; quàm ineptè, si neque Lega-
tus nec famuli Legati tale quid passi fuissent? Quis ve-
rò crederet, tantum Regem tam temerè jus suum adeò
eminens, (ne Legati ipsius alibi puniri ob delictum pos-
sent) sine causa repudiâsse, & se suosque Legatos in
tantò deteriorem præ cœteris Regibus qui id non re-
miserant) conditionem abjecisse, quinimò circulari-
bus literis, nemine perente, & cum nulla esset causa
(uti

An Legati apud Principem ad quem missi &c. 21

(utinulla est, si nihil vel in legatum vel in ministros ejus statutum fuit) hanc tanti juris profusionem significasse? Certum itaque est, Regem literis his facti hujus, ne alii id calumniarentur, justitiam ex jure gentium defendere, atque, ut appareret hanc verè ejus sententiam esse, paria in suos Legatos delinquentes permittere voluisse.

26. Sed & Henricus IV. Galliarum Rex, in Legati Hispanici Ministrum, qui Secretarium Regis ad proditionem oppidi corrumpere conatus fuerat, judicium exercuit, eumque carceri inclusit, & Legatum Hispanicum eo nomine conquerentem masculè refellit. Et frivolum est quod reponitur, non in Legatum, sed ejus ministrum, nec in hunc graviorem pœnam statutam fuisse: Nam Legati comites æq; ac Legatum sanctos esse constat, nec quæritur quam pœnam, (quæ arbitrio Judicis vel infligitur vel remittitur) sed an judicium pati cogantur.

27. Nec illud evitari potest, quod ex Warsevicio affert Kirchnerus *de Legat. lib. 2. cap. 1. n. 116.* de Legato, qui ob adulteria & condemnatus & ultimo supplicio affectus fuit, sive à Lusitanis ut Warsevicius, refert, sive à Tunetensibus, ut Zoucheus ex Hotomanno conicit. *d. tract. cap. 7. in fin.*

28. Ipse Paulus IV. Papa, cum Vegam legatum Regis Hispaniæ in carcerem misisset, eoq; nomine Dux Albanus querelam moveret, respondit: *Vegam fines mandati egressum, & muneris sui oblitum esse, quippe seditionum, machinationum, consiliorum, clam in S. S. & Se initorum participem, ob id jus illud inviolabile, quod ad defensionem obtendat, culpæ suâ amisisse, ut meruerit sic habitum esse, & nunc etiam haberi &c.* Thuan. *lib. 17. ad ann. 1556. p. m. 791.*

C 3

29. Qui-

29. Quibus in cumulum accedit, nec parum momenti affert Sapiientissimorum Germaniæ Principum, Johannis Friderici Electoris Saxoniae, & Philippi Landgravii Hassiæ autoritas & testimonium, qui scripto publicè edito ad Henricum Ducem Brunsvicensem A. 1539. ita rescripserunt: Haben aber solche Legaten in zeit ihrer Legation etwas verwürdet / berrügliche Sachen braucht oder gehandelt / so hat man sie ohne Unterscheid angegriffen / gefänglich gehalten / ihre Brieffe erbrochen / und zu zeiten gestrafft / apud Arum. *ad A. Bull. Disc. 1. th. 21. p. 40.*

40. Alia exempla autoritatesque videri possunt apud Arum. *d. thes. 21. & de jur. publ. Disc. 14. quæst. 16. & Disc. 29. Concl. 12. Kirchner. de Legat. lib. 2. cap. 1. num. 107. & seqq. Bodin. de Republ. lib. 5. cap. 6. in fin. Zouch. d. tract. cap. 6. §. 12. Perez. C. de Legation. n. 11. Quamquam non omnia quæ allegant exempla rei, quæ intenditur, probandæ satis convenient. Quò & pertinet factum Pauli IV. Papæ, prout Thuanus *d. lib. 17. pag. 790.* id refert: nam Regis Hispaniæ Legatum, qui nihil deliquerat, ideo carceri inclusisse dicitur, quòd, cum bellum inter ipsum & Regem ortum esset, Dux belli Hispanicus in ipsum duceret: unde Thuanus, *Legatum,* ait, *nulla juris gentium habita ratione in carcerem conjici. jussit: ex quo non prius dimissus est. quam pax anno sequenti convenit.**

CAPUT III.

Ubi solvuntur contraria.

SUMMARIÆ.

1. *Afferuntur dubia contraria.* 2. *Explicatur Livius. & cõtrarium magis indeprobatur.*
aria. & in primis loc9 Livii.

3. 4. 5.

- | | |
|--|--|
| <p>3. 4. §. Locus Salustii affertur, explicatur, & contrarium magis inde ostenditur.</p> <p>6. Ad reliqua Grotii argumenta Responsio generalis.</p> <p>7. Resolvitur argumentum primum.</p> <p>8. Et alterum.</p> <p>9. Et ultimum.</p> <p>10. Convincitur Grotius ex propria opinione.</p> <p>11. Responsio ad exempla con-</p> | <p>traria; Ex eo, quod Legati dimissi sint, non sequi dimitti debuisse; ut ex eo, quod puniti sunt, sequitur puniri potuisse.</p> <p>12. Etsi hodie Principes soleant dimittere, non inferri jus nature, sed vel meri arbitrii; & generositatis actus esse, vel jus gentium secundarium, quo non tenentur.</p> |
|--|--|

Adversus doctrinam tam evidentem ac certam, & tot juris naturalis momentis, gentiumq; autoritatibus subnixam, quæ afferri solent, mirum equidem est quàm fatiscant & langveant. Grotius qui tract. de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 18. §. 4. causam hanc totam ad jus gentium voluntarium refert, & proinde unice quosque gentes consenserint spectandum esse putat, (quod refutatum est cap. 1.) in id duo maxime laudat judicia, Livii & Salustii. Livius lib. 2. cap. 4. refert, Legatos Tarquiniorum conspirasse cum adolescentibus nobilibus Romæ, & adolescentes in vincula conjectos, de Legatis paulo addubitatum fuisse: Tum, quid decreverint Consules de Legatis, ita addit: *Quanquam visi sunt commisisse ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit.*

2. Verùm, ille locus magis adversatur haud obscure Grotio & qui eum sequuntur. Duo enim sunt decreta hujus membra: in priore refertur quid de jure visum fuerit Consulibus, seu buid senserint jure fieri potuisse; scil. *Visi sunt commisisse ut hostium loco essent; adeoq;*

24 *Disfert. de Legato sancto non impuni,*
deoque iis jus gentium non prodesse. In altero verò,
quòd tamen jus gentium, remisso eo jure in hostes, quo
uti potuissent, valuerit. Igitur mitiore viâ ultrò usi sunt
Consules, & jus gentium, quod aliàs legatis compe-
tit, in hunc quoque casum, quo ut hostes haberi da-
mnarique jure potuissent, extendi ac valere placuit.
Atque hæc ergò est vera loci hujus sententia, quòd Le-
gati rigido jure amiserint quidem jus gentium, sed
nihilominus tamen id ipsum indultum fuerit. Nam
quòd Consulibus visum fuerit, Legatos subeste judicio
populi Romani, vel inde quoque patet, quia absque hæsi-
tatione profecti dicuntur ad eos comprehendendos. Liv.
d. cap. 4. quod fieri non potuisset, si exempti eorum
Jurisdictioni fuissent. *Conf. infr.*

3. Ita & alterius loci, qui est Salustii *de Bell. Jug.*
cap. 35. sententia planè invertitur ab iis qui dissentiunt.
Jugartha Rex Romam venerat & una Bomilcar Co-
mes ejus; adeoque hic propriè nec Legatus nec Legati
Comes fuit, sed fide publica, adeoque data securitate,
adiit Romam; quod perinde est: nihil enim refert,
jure gentium an pacto publico detur alicui securitas.
Hic Bomilcar instinctu Jugurthæ obruncaverat Mas-
sivam, Masinissæ nepotem, quæsitumque; an, non obsta-
te securitate publicè datâ, in eum statui potuerit. Et
ait Salustius: *Fit reus magis ex æquo & bono quàm ex jure*
gentium Bomilcar. Ergò constat reum esse factum;
non potuisset autem reus fieri Romæ, nisi forum ibi
comperens fuisset. Quin factus est reus ex æquo &
bono: non igitur contra jus gentium. Certum ergo
est, non hanc esse sententiam; Bomilcarem non po-
tuisse jure gentium reum fieri; sed contra, non tan-
tùm potuisse reum fieri, sed & in vincula conjici,
gravi-

graviusq; in eum, factio jam iudicio, pro rei atrocitate statui. Hoc autem, quod iure gentium fieri poterat, factum non est, sed mitius cum eo actum & dies tantum dicta, cæterum ipse nec victus nec comprehensus fuit; quæ res deinde quoque viam ipsi aufugiendi fecit.

4. Hoc ergo voluit Salustius, Bomilcarem reum factum tuisse non juxta rigorem *iuris gentium*, sed mitius & magis ex æquo & bono. Hæc enim verba, juri opposita, significant rigidi juris mitigationem, Græcis, *ἡμετέριον*, ut in *l. 17. de Inj. rupt. irr.* Licet subtilitas juris refragari videtur, attamen voluntas ex æquo & bono tuebitur. Et in *l. 16. ff. de Cond. & dem.* dicitur: *In his possunt res ex æquo & bono interpretationem capere; ea vero quæ ex testamento oriuntur, necesse est secundum scripti juris rationem expediri.* Add. *l. 8. C. de Judic.* & Cicer. *lib. 7. ad Attic. ep. 7.* Inde natum, æqui boniq; facere, consilere &c. id est, in mitiorē clementioremq; partem facere. Idem Cic. latè in *Orat. pro A. Cæcin. circa fin.* Tum, ait, ad istam orationem decurrunt, cum se in causa putant habere æquum & bonum quod defendant; si contra verbis & literis, & ut dici solet, summo jure contenditur, solent isti iniquitati & boni & æqui nomen dignitatemq; opponere. Tum vociferantur, ex bono & æquo, non ex callido versutoq; jure rem judicari oportere. Intelligitur ergo his verbis ratio mitior juri duriori opposita.

5. Quin ex hoc ipso exemplo evidentissimè sententia, quam defendimus, confirmatur. Refert enim Salustius, *d. l. Jugurtham* hunc reum, ne supplicium de eo sumeretur, clam dimisisse in Numidiam. Atq; adeò nō tantum actu reus factus ille fuit, sed & agnovit

D

Jugur-

Jugurtha supplicium de eo Romæ, non obstante data securitate, sumi potuisse.

6. Cætera, quæ adducit Grotius *d. l.* ipse conjecturas esse ait; ex quibus colligere intendit, placuisse gentibus, ut Legati videantur extra territorium esse. Verùm in genere primùm notamus, nec ex conjecturis jus naturæ oriri, sed id probandum esse: nec, etsi probaretur gentibus ita placuisse, exinde obligarentur summi Principes, qui non tenentur placitis gentium, sed solo jure naturæ. Nec esset id jus naturæ, sed jus saltem gentium secundarium: de quo hîc non quæritur. *Vid. supr. cap. 1.* Denique nec ex singulis, quæ adducit, quicquam inferri potest, ut jam apparebit.

7. Primùm enim ait, *Privilegia ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra jus commune. Quod si legati ab injusta tantum vi tuti essent, nihil in eo magni esset, nihil præcipui.* Resp. 1. Hoc equidem insigne satisque eximium est, quòd legati, qui hostes sunt & ab hostium partibus veniunt, & qui proinde jure belli ut hostes haberi, occidi, spoliari, lædiq; possent, non modò æquè tuti sint ac amici, sed & apud hostes ipsos sancti & inviolabiles. Tanta itaque tamque eximia hujus privilegii vis est, ut juri belli non modo deroget, sed illud quoque in universum in personis legatorum aboleat, atq; cum inviolabili sanctimonia commutet, cum alias hæc duo invicem contraria fuerint, hostem & sanctum esse: ut apud Virgil. *Ænæid. lib. 3. vers. 406.*

Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum

Hostilis facies occurreret & omina turbet.

2. Sed nec id adeò efflagitamus, ut jus legatorum pro privi-

privilegio habeatur: cum sufficiat, jure naturæ communi legatorum securitati, non flagitius cautum esse. *argit* 8. Deinde ait: *Securitas legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderat: nam pœna haberi potest per eum qui misit: qui si punire nolit, bello exigi ab ipso potest: nec bello nos eximet legati pœna, si factum ejus probet qui misit.*

Resp. 1. Securitati Legatorum nihil decedit, etsi impunè delinquere non ausint, ut probatum *cap. 2.* Nec 2. naturæ jure quæritur, quid parti alteri utile, sed quid justum sit. 3. Mirum verò, si quis, collata securitate Legati cum securitate Principis ac Reipublicæ, illam huic præferre haud erubuerit, & magis prospectū vellet personæ Legati, quàm toti civitati ejusque Principi apud quem degit. Quid enim non metuendum Principi ab hostis ministro, qui legati jure propè domesticus est; animo, quem hostilem retinet, hostis; impunitatis fiduciâ ferox & tumidus? Quid non aucturus est legatus in Principem ac Rempublicam hostilem, cui occasio & impunitas audaciam accendunt, & spes promerendæ Principis sui gratiæ animum studiumq; machinandi grasfandiq; acunt? Hoc exemplum legatorum in Reginam Angliæ Elisabetham conspirantium docuerunt; quàm Ipsa quotidie propè in discrimen vitæ Regniq; adducta, ipsique quotidie in propriis propè Laribus cum tot periculis de omnibus fortunis dimicandum fuerit, uti ex Cambdeno expofitum est, uberiusque videri potest. Cui igitur utilius est prospici, Principi totique Reipublicæ, ut tuti, an personæ legati, ut impunis sit? Denique 4. quis probet consilium Grotii, bello potius pœnam à Principe, qui legatum non punit, exigere, quia, si is factum probet, pœna legati bello nos non sit exemptura?

ra? Id enim negari planè nequit, satius utrique esse, pœnam jure imperiâ Legato, quàm bello à Principe adversario cum summo discrimine Reipublicæ exigere. Qvod si hic vindictam bello moliat, injuriâ molitur, quæ alteri jus puniendi auferri nequit: expectandusque est cæteris paribus, belli eventus malâ causâ dignus.

9. Porrò addit Grotius: *Parte altera valde in lubrico locatur salus Legatorum, si actuum suorum rationem alii reddere debeant, quàm à quo mittantur: nam, cum plerumq; diversa, sæpe & adversa sint utriusq; partis consilia, vix est, ut non semper aliquid in legatum dici possit, quod criminis accipiat speciem.* Resp. Uti idem propè est cum præcedente argumentum, ita eadem responsio: Magis utique in lubrico locatur salus Principis & totius Reipublicæ, si in ejus quasi sinu Legatus hostis impunè delinquere, machinari in Rempublicam &c. potest. Quid igitur potius, legati persona an Reipublicæ? Cæterum nec salutis legatorum insidias lex naturæ, sed flagitiis pœnas statuit. Nec videndum quid utile, sed quid justum sit quæritur. Sed nec in lubrico locatur salus Legatorum, si jure agunt. Quin etsi in eos quid ita statuatur, id per injuriâ fiet, quæ fieri posset, sive jus puniendi sit Principi, sive non sit. Si igitur salus Legati in lubrico est apud Principem ad quem mittitur, id non est ex jure puniendi, sed ex injuria. In eo verò maximè fallitur Grotius, quod ait, *semper aliquid in Legatum dici posset quod criminis accipiat speciem.* Potest enim legatus causam Principis sui apud eum ad quem mittitur palam omni studio & contentione agere, quod in speciem criminis verti neutiquam potest; at verò clam machinando in Principem, vel

vel alios lædendo omnino delinquit, neque id speciem delicti habet, sed verum omnino delictum est.

10. Quod præterea Grotius *d. l.* concedit, non modo legatum juberi posse, ut e territorio abeat, sed & si necesse sit, capi & interrogari; eo agnoscit legatum subjectum esse Jurisdictioni Principis ad quem mittitur. Alioquin enim, si exemptus esset ei Jurisdictioni, nec capi nec interrogari posset: quippe qui sunt actus Judicis & Jurisdictionis.

11. Afferuntur quoq; plurima exempla eorum, qui legatos delinquentes remisere ad Principem suum: de quibus Zouch. *d. tract. cap. 5.* Verum ex talibus exemplis nihil concluditur: ex eo enim, quod plurimi Principes dimiserint legatos delinquentes, non sequitur, quod jure ad id obligati fuerint, vel obligatos se crediderint, cum vel ex gratia ac clementia, vel ex animi magnitudine & generositate, vel pro Reip. suæ temporumq; rationibus ita egisse poterunt. Non enim magni Principes semper attendunt, quid facere jure possint, sed & quid consultius sit sibi ac Reip. suæ, quid generosius, quid decentius &c. At ex eo, quod populi ac Principes in legatorum delicta inquisiverunt & animadverterunt, sequitur id jure naturæ sibi licitum permisisse q; sensisse. Itaq; ex his affirmativè, ut loquuntur scholæ, inferri potest, ex illis negativè non potest.

12. Etsi igitur hoc præsertim seculo Principes ac Populi Europæ vix vel rarissime in legatos, si quid admiserint, statuere, sed vel illud dissimulare vel Principi ipsorum denunciare id soleant; non tamen inde concludi potest, quod jure non possint in eos statuere; sed quod vel id præsentis rerum statui non condu-

Disert. de Legato sancto non impuni,
 cere, vel quod generosius id esse existiment ita age-
 re; vel deniq; si id juris esse velint, non esse hoc nisi
 jus gentium secundarium, quod summos Principes,
 qui non nisi Deum superiorem agnoscunt non
 obligat, ut *supr. dictum.*

CAP. IV.

De

Reliquo jure sanctitatis Legatorum.

SUMMARIA.

- | | |
|--|---|
| 1. Jus gentium legatis da-
tum extendi quoq; ad eo-
rum Comites, Vasa, &c. | quos velit Legatos mittere.
9. Aliam questionem esse, quos
mittere decorum sit. |
| 2. Inter Legatos & eorum Co-
mites non esse differentiam
ratione fori. | 10. An jus gentium legatis com-
petat in terra hostis, ad
quem missi non sunt? Neg. |
| 3. An Legati ex contractibus
suis conveniri possint in loco
legationis? Aff. | 11. Jus gentium non oritur ex
eo quod Legati Principem
suum representent. |
| 4. Legatorum jus revocandi
domum an sit meri juris po-
sitivi? Aff. | 12. An Legati jure talionis vio-
lari possint. |
| 5. Antamen Legatis conceden-
dum sit? Aff. | 13. Illustratur id exemplis. |
| 6. Commendatur id quod hu-
manius est. | 14. An per duellis, vel oberimen
ejectus, si Legatus veniat,
jure gentium uti possit?
Neg. |
| 7. Exemplū uxoris Legati Hi-
spanici. | 15. An qui speculandi causā ve-
niant. |
| 8. In arbitrio Principis esse, | 16. De Penis violantium. |

QUAM haecenus legatis asserimus inter hostes
 quoque securitatem sacrosanctam & inviolabi-
 lem, eadem Comites quoq; & famulos eorum,
 quin

quin vasa & sarcinas contineri dubium esse nequit. Eadem enim necessitatis ratio ipsos ipsorumq; sarcinas perinde defendit ac legatos: quippe non magis legati sine Comitibus ac sarcinis iter facere, & ea quæ gravissimi muneris sui sunt, obire possunt, quam pax & fœdera absq; legatorum interventu fieri. Quod cum omnium quoque gentium suffragiis comprobatum sit, nec in disceptationem publicam veniat, exempla & auctoritates in id afferre prorsus supervacaneum est, vid. Grot. *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. c. 18. §. 8. & 9. & ibi Interpp.*

2. Et si autem negandum non sit, majoris sanctimonie ac venerationis gradu Legatos ipsos quam ministros eorum habendos esse, perperam tamen inde differentiam tori infert Zouch. *d. tract. cap. ult.* ubi legatum non posse in loco delicti conveniri, ministros & Comites posse tradit. Cum enim omnes sancti sint & inviolabiles, & sanctimonie tantum gradu in loco legationis distingvantur, id saltem inde sequitur, quod mitius puniendi sint Ministrorum quam Legatorum violatores. Sed quid inde ad forum ipsum? Ad pœnas violantium Legatos id pertinet, non ad forum Legatorum & Comitum delinquentium. Si sanctimonia legatos foro delicti eximit, eadem & Comites ipsorum eidem foro subtrahet. Et si pœnam personis sanctis ob delictum infligi, violatio est, non magis Comites quam Legati jure gentium violari possunt; si non est, (uti non esse demonstratum est *cap. 2.*) in utrosq; pœna perinde statui potest, quia jure gentium sola violatio eorum interdicta est.

3. Quæ hæcenus de foro Legatorum in delictis tradita sunt, eadem iisdem rationibus obtinent etiam
in

Disert. de Legatis sancto non impuni,
 in contractibus eorum. Nam cum jam constet, lega-
 tum non posse declinare potestatem territorii in quo
 moratur; nec sanctimoniam legatorum impedire ex-
 ecutionem juris, sed licentiam hostilem & jura belli ac
 hostium, &c. ab iisdem principiis perinde forum con-
 tractus arcesitur ac forum delicti. Atq; hoc ita diser-
 te quoque ratione ejus, quod tempore legationis con-
 traxerunt, statuitur in jure communi. l. 2. §. 3. & seqq.
ff. Judic. l. 23. ff. eod.

4. Cæterum, cum jure civili beneficium hoc da-
 tum sit legatis, ne ratione eorum quæ alibi, vel in loco
 quidem legationis, sed ante legationem contraxerunt,
 ibi conveniri possint, sed jus domum revocandi ha-
 beant, *dd. ll.* dubitari potest, jurisne civilis ac positivi
 id sit, an juris gentium? Equidem si rationem juris
 gentium inspicimus, indistincte legatos ex contracti-
 bus suis in loco legationis, quoad ibi degunt, conve-
 niri posse dicendum est. Quicumq; enim intra fines
 territorii, eoq; ipso sub ejus potestate existunt, in eos
 naturali ratione jus dici à magistratu loci, ubi sunt, a-
 deoq; ex omnibus causis ibi rei fieri possunt: uti pluri-
 bus exponit Dn. Præs. in *Disp. de Fundat. in terr. pot. tit.*
4. §. 11. seqq. & ejus juris vestigia hodie inter gentes ap-
 parent in jure arrektorum, quo, ubicunq; reperiuntur,
 personæ & res fisci possunt. Beck. *de Jure Sist. cap. 2.* Qua-
 re & legati, quos Juribus loci illius non esse exemptos
 docuimus *cap. 2.* ut ex delictis, ita & ex contractibus
 suis alijsq; causis legitimis ibi conveniri poterunt, cum
 jus gentium ipsis tantum securitatem à vi hostili, non
 autem immunitatem ab executione juris præstet, ut
 pariter probatum dedimus. *d. cap. 2.* Non differunt
 ergo legati in causis juris gentium ratione fori ab aliis,

liis, qui sub potestate territorii sunt. Idq; inde confirmatur, quia jure civili jus revocandi domum, tanquam singulare beneficium civile & tanquam privilegium legis concessum est: *dd. ll. inde enim colligitur jure gentium communi id secus esse.*

5. At cum tamen jure civili tota hæc ratio fori mutata sit, etiam de legis aliter statui necesse est. Legibus enim placuit, ut reus ex contractibus suis extra locum contractus conveniri nequeat, nisi civis atque adeo in loco domicilii sit: quin, ut ne quidem in ipso contractus loco retineri possit, si tantum transitu utatur; *l. 19. §. 1. & 2. ff. de Judic.* quia durissimum visum fuit, quotquot locis quis navigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendi; prout ratio illa civilis adducitur *in d. §. 2.* Hoc jus igitur Legis quoq; denegari nequit; tum quia, quemadmodum Legati in loco illo ex causis saltem juris gentium obligantur, ita communibus gentium beneficiis ibidem eos uti fas est: tum quia Legatos validior multò ratio contra creditores suos defendit, publicæ scil. utilitatis; negotiis enim publicis, quæ inter Legatum & Principem loci expedienda sunt, magnum impedimentum afferret, si ille omnibus creditoribus suis ibi respondere teneretur.

6. Quinimò, etsi, ut dictum §. 4. ex contractibus in loco legationis initis Jure conveniri possint, longè tamen humanius, prudentius ac generosius, quin & publicè utilius est, si Princeps eo jure suo non utatur, sed remittat actores ad forum ordinarium Legatorum: Et quidem multò æquiùs & faciliùs hoc honoris ac venerationis tribuitur Legatis nihil delinquentibus, sed ex licito contractu negotiove saltem conven-

E

conven-

34 *Disfert. de Legato sancto non impuni,*
conventis, quòd, etsi criminis postulentur, ex huma-
nitate tamen poenâ iudicioq; sæpius abstineri soleat:
uti expositum est. *cap. 2.*

7. Ita in uxorem Legati Regis Hispaniarum ad
Sabaudia Ducem, ratione æris alieni arrestum non
modò Turini decretum, patiente Duce, sed & res
quædam mobiles captæ fuerunt, ex humanitate verò
postea illud relaxatum est; ut refert *Autor des Memoires*
touchant les Ambassadeurs. prop. fin. p. 619. ubi quidem ex
hypothesi sua id vocat *une action irreguliere & choquan-*
te, cujus rigorem deinde excusaverit Dux per ab-
sentiam suam; at verò ipse id tribuit summæ Ducis
humanitati, inprimis erga sexum fœmineum, fate-
turque Ducem ipsum id passum fuisse. Et sanè, si
hoc factò jus gentium læsum fuisset, non suffecisset
hæc excusatio, sed gravissimè equidem puniendi fu-
issent, qui arrestum contra jus gentium decreve-
rant. Quæ vero Grotius *d. cap. 18. §. 9. & 10.* in con-
trarium asferit, asferit tantum, non probat.

8. Competit autem hoc jus inviolabilis sancti-
tatis omnibus Legatis publica auctoritate missis; etsi
ut dignitatis, ita &, si violentur, poenarum gradus
sint: modò jure gentium Legati esse possint; id quod
totum, modò naturæ defectus, uti furoris, infantia
&c. non sit impedimento, est in arbitrio Principis
mittentis. Ira Legati Juribus nihil derogatur, etsi quis
fœminas vel Clericos, vel vilis conditionis, aut ne-
gotiorum imperitos mittat; nam & omnium horum
generum Legatos nostrâ quoque memoriâ missos esse
constat, & Ludovici XI. legatus tonsor fuit. *Comin.*
Comment. lib. 8.

9. Alia quæstio est, quid magis decorum, con-
gruum

gruum, & è re publica videatur; quod ipsum quoque à Principis judicio pendet, an satis decorum aut è re fit, virilia & publica negotia fœminis, secularia & civilia Clericis, gravissima tonsoribus, & momenta Reip. imperitis committi. Principi enim liberum est eligere per quos negotia sua explicari velit: neque ideò minus illi, qui ab eo ita misi sunt, juribus ac beneficiis legatorum utuntur.

10. Illud vix dubium habet, Legatos, si per hostis, ad quem misi non sunt, terras transeunt, nullâ fide acceptâ, non frui hoc jure gentium, sed pro hostibus haberi: non enim obligat jus gentium nisi eos ad quos Legatus mittitur: nec inter alios jura Legatorum esse possunt, quàm inter quos est legatio: ad reliquos, uti negotium nihil pertinet cujus conficiendi causâ unice vis hostilis in persona Legati suspendenda est, ita nec ipsa hæc bellici juris suspensio. Atque ita hostium jure haberi potuerunt Francisci I. Legati ad Turcam, cum per terras Imperii transfirent. Sleidan. *de Stat. relig. lib. 14 pag. 390.* idemque aliis antiquiævi exemplis probat Grot. *d. c. 18. §. 5.*

11. Verum quidem est, quòd Legati ubique repræsentent Principem suum, & falluntur qui putant fictiones has esse Juri gentium ignotas, cum vera sit dignitas in ipsos à Principe interim collata: ast ab illa repræsentatione sola dignitas, non sanctimonia illa inviolabilis legatorum, sed hæc ex ipsa constitutione juris gentium est; Legatus enim, qui Principem præsentat, hostem præsentat, qui ipse in terra hostili inviolabilis ac securus non esset, nedum ut Legato præstare ex sui præsentatione securitatem posset, sed hanc à solo jure gentium habet ratione,

negotii, cujus causâ mittitur, adeoque apud eum ad quem ejus tractandi causâ mittitur.

12. Anceps magis quæstio est, an, si Legatus noster ab eo ad quem missus est violetur, hujus Legatus ex lege talionis iterum violari possit? Negat hoc Grotius *d. cap. 18. §. 7.* Et sanè perquam durum videtur, innocentem Legatum luere furias Principis in legatum contra jus gentium sævientis: semperque generosiores Principes ac belli Duces abominati sunt talionem, uti notissimo Scipionis exemplo aliisq; in *d. §. 7.* ostenditur.

13. Verùm enimverò, est ea jure quoque Naturæ fors subditorum, ut teneantur præstare factum Principis ejusque judicium sequi: Obligantur ergo ex ejus facto quasi ex proprio. Cùm Senatus Carthaginienſis Regulum, fortissimum Romanorum Ducem bello captum, per varios cruciatus occidissent, Valer. Maxim. *lib. 1. cap. 1. §. 13.* Polyen. *Strateg. lib. 8. cap. 12.* Romani deinde Nobilissimos Pœnorum bello vicissim captos liberis Reguli excuriandos necandosque tradiderunt: *lib. 6. cap. 4.* ita infontes atrocissimis cruciatibus sævitiam Procerum suorum pendere coacti sunt. Hac ratione igitur legati quoque præduram hanc talionis legem, si pars læsa eâ uti velit, jure quoque subire compellentur: idque non exemplis modò, sed perpetuo gentium ipsorumque legatorum judicio apparet. Ita, cùm Pœni legatum Romanorum malè tractassent, Amilcar Pœnus noluit legatus Romam ire metu talionis; Hanno autem ideo suscepit, quia magnitudinem animi in Senatu Romano perspectam habuit. Valer. Max. *lib. 6. cap. 4. §. 2.* Alii deinde Legati Pœnorum, audito scelere
in Le-

in Legatos Romanos à suis admisso, ne dubitandum quidem putabant, in se Romanos ultionem sumturos esse: Polyb. *lib. 5. Histor. 4.* ubi hic ipse Autor deinde sentit, potuisse hoc Romanos jure facere. Themistocles, veritas ne ipse Legatus à Spartanis, ob consilium Athenas muris cingendi civibus suis datum, malè haberetur, monuit Athenienses, ut Legatos Spartanorum quasi pignus retinerent, si quid in ipsum fortè molirentur, & in Senatu Spartanorum ipse professus est, Legatos eorum in hoc pignus Athenis retentos, si quid de se crudeliùs statuerent. Justin. *lib. 2. cap. 15.* Aliud exemplum talionis est apud Jos. *Antiqu. lib. 15. cap. 7. §. 8.* & Herodot. *lib. 7. c. 185.* Quo tamen talionis jure tunc indubiè abstinendum videtur, cum Princeps manifesta injustitià ultra fines notorios potestatis suæ Legatos alterius malè habuit, ipsiusque Legati planè innocentes sint: tale enim factum non tenentur præstare aut probare.

14. Cæterùm hoc jus gentium non possunt sibi arrogare perduelles, aliique ob flagitia sua pulsi & ejecti, si Legati ad locum illum, unde excedere coacti sunt, veniant: Non enim ullo jure permisum est ulli Principum illos Legatos mittere atque ire jubere ad Principes, qui jure legitimi magistratus eos perduellionis reos judicarunt, aut alià ex causâ in exilium pepulerunt: eo ipso enim is, qui mittit, legitimi magistratus auctoritati detrahit, gravissimamque injuriam infert, nec proinde qui mittitur ullo legati jure frui, sed ut hostis ac perduellis haberi potest. Et, cum Princeps extraneum delinquentem punire possit, *supr. cap. 2.* nedum perduellem subditum suum. Ita, cum Reginaldus Polus, Cardinalis, ab Henrico

VIII. Angliæ Rege perduellionis damnatus, à Papa deinde ad Mariam Angliæ Reginam legatus mittetur, etsi illa Poli studiosissima esset, adeò ut deinde publicè inter illam & maritum ejus, Philippum Regem Hispaniæ, medius iret, non tamen admitti eum antè in regnum voluit, quàm procriptionis damnatio publica autoritate remissa fuisset. Quin antea, cùm Polus ad Regem Galliæ à Papa missus esset, Henricus VIII. eum sibi à Rege dedi petiit: prout latè rem exponit Gratian. *de Casib. Illustr. rubr. de Reginaldo Polo pag. 209.*

15. De iis quoque qui speculandi causâ sub specie legationis mittuntur, quæri potest, an jure gentium gaudere possint: nam ipse Scipio Africanus suscepit legationem ad Antiochum speculandi causâ, apud Appian. *de Bell. Syr.* Quod paucis ita decidimus. Cùm in hostem dolo æquè ac vi uti licitum sit, potest quidem hostis specie quoque legationis decipere hostem, (quanquam Romani veteres non adeò hunc morem in hostem probaverint, apud Liv. *lib. 42. c. 47.*) sed, cùm hic actus hostilis tamen sit, poterit, si detectus & deprehensus ille animus speculandi fuerit, perinde ac si vi usus fuisset, pro hoste haberi; desinit enim hoc factò esse legatus, quia id est extra fines mandati quod exhibuit. Exemplum memorabile de Stephano Rege Poloniæ & Legatis Moscorum est apud Thuan. *Hist. lib. 73.*

16. Cæterum de pæna eorum qui Legatos violent non est ut aliquid addatur. Jure communi notum est, eos hostibus dedi. *l. fn. ff. de Legation.* Quod satis grave est, ipsius hostis irati partis que læsæ judicio, libidini atque arbitrio pænam committere, etsi extent

tent varia deditorum exempla; Valer. Maxim. lib. 6. cap. 6. §. 3. & §. 5. Dion. Halicarn. Antiqu. lib. 2. cap. 53. Aial. de Jur. bell. lib. 1. cap. 9. num. 2. Bodin. de Rep. lib. 2. cap. 6. in fin. Verum Jure gentium non tenetur Princeps violatorem hosti, dedere, cum ipsius sit legitimum forum, atque adeo ipse pœnam arbitraria severitate statuere potest. At cogitabit, non modò violati juris gentium, sed & neglectæ in violatores pœnæ vindicem acerrimum esse Deum, ejus Juris latorem: vel exemplo urbis Romæ, quæ, cum in Legatos suos Juris gentium violatores non animadvertisset, antè à Gallis, qui læsi erant, diruta ac destructa est, quàm sentiret eos hostes esse: Hinc cum Camillus exul apud Ardeam, eo audito *senesceret indignando mirandoq; ubi illi Viri essent, qui secum Vejos, Faliscosque cepissent, &c.* Liv. lib. 5. cap. 43. deinde agnoscit, ideò id contigisse Romanis, *quia gentium jus à Legatis eorum violatum, & ab ipsis, cum vindicari deberet, eadem negligentia Deorum prætermisum fuerat.* Liv. dict. lib. 5. cap. 51.



ULB Halle
002 061 333


3




sb

VD 17







1699, 4a

145
5/

ENTIIUM PUBLICI,

O SAN- IMPUNI.

te Numine

DE

COCCEJO,

ATISSIMO,

MI ELECTORIS BRAN-
CULTATIS JURIDICÆ OR-
ARIO, nec non EIDEM
INCIPI ELECTORI,
CONSILIIS,

ELECTORALIS PALATINI,
ESSORE, IN ACADEMIA
PANDECT. & JURIS
MERITISSIMO,

ROMOTORE OMNI OBSERVAN-
COLENDO,

tilationi submittit

Consultorum

PONDENS

MUS de LÜDERITZ,
rch.

An. M DC IC.

CHRISTOPHORI ZEITLERI.